

Πρόγραμμα Ἐργατικόν

DEO-HOMINI SACRVM

IN MAXIME SOLEN-
NI FESTIVITATE ΤΗΣ ἘΝΣΑΡΚΩ-
ΣΕΩΣ ΤΟΥ ΛΟΓΟΥ, QUAM TOTA JESU CHRI-
STI ECCLESIA HIS IPSIS DIEBUS, CHRISTI-
ano, cum gaudio debitāq; devotione
peragit.

Propositum

à

RECTORE & SENATU ACA-
DEMIAE REGIOMONTANAE.

Anno Dominico cld Is cxxxi ineunte.

Dominus custodiat exitum & introitum nostrum
ex hoc nunc & usq; in seculum.



REGIOMONTI,
Typis Laurentii Segebadii,



Domine, quàm admirabile est nomen tuum! Psal. 8, 1. Verè tu es DEVS, qui facis mirabilia solus, Psal. 72, 18. Non modo mundibus structuram admiror; non stabilitatem terre, cum eam complectatur rotabile firmamentum; non singulos dies; non Lunæ defectum & incrementum; non Solem semper integrum, & laborem ejus perpetuum; non temporum vicissitudines, in quibus quædam ærent, quædam virent, & quæ mortua modò videntur, reviviscunt. Miror DEVM in utero Virginis; miror omnipotentem in cunabulis; miror quomodò Verbo DEI caro adhaeserit; quomodò incorporeus DEVS corporis nostri tegumentum induerit; miror in hac dispensatione tanti dispendia temporis, & tam lentos processus ad obedientiam Salvatoris. In brevi poterat patrare negotium, & poterat tantus labor abbreviari ad solum Christi, sicut factus mundus & disposita cuncta ad ejus imperium. Sed elementari mundo dignior est rationalis homo, quod ex eo, quod in ejus servitium facta sunt omnia facile creditur. In cæteris quocunq; modo aliquæ satisfaciunt rationes, hic solus me complectitur supor, & cum Abacuc cano: Consideravi opera tua, & expavi, cap. 3. 2.

Hæc devota verba sub Exordium præsentis Academicæ Institutionis à Cypriano, Martyre gloriosissimo ex Sermone de Nativitate mutuamus.

Illuxit nobis iterum per DEI gratiam tempus illud gratiarum quo cum Catholicâ Jesu CHRISTI Ecclesiâ devotè recolimus magnum illud pietatis mysterium, quo DEUS in carne manifestatus est, 1. Tim. 3, 16. Arduum illud & verè admirandum nostræ Redemptionis Exordium, Novum illud, quod Dominus super terram creavit, Jer. 31, 22. Miraculum illud tremendum, quod est *ἡ ἐν ἡμῖν ἡ ἐν ἡμῖν ἡ ἐν ἡμῖν*, in quâ Angeli gestione *παρεκθύσαι*, 1. Petr. 1, 12. quod semper adorant. Quis enim nostrum cum B. Cypriano in hac præsertim Festivitate non admiraretur DEVM in utero virginis, omnipotentem in cunabulis admirandum & λόγος cum humanâ carne vinculum? Hæc salutaris admiratio cum solido in nostris cordibus gaudio perpetuo conjungam.

Cum GE. Exultemus in Domino & latemur. Hoc enim magnum
 pietatis mysterium nostro bono peractum est. DEUS nobis in carne
 manifestatus. NOBIS hic puer natus. nobis hic filius datus est,
 Esa. 9, 6. Nam propter nos & nostram salutem descendit DEI
 Filius de coelo & incarnatus est de S. Sancto ex Mariâ Virgine &
 Homo factus est, secundum verba Niceni Symboli. Factus est homo
 sanctus, iustus, incontaminatus, ut nos impios, injustos, contamina-
 tos ad primariam sanctitatem, iustitiam, puritatem mediante spiri-
 tuali *ανανθεφαλαίωσης* vinculo reduceret, Ephes. 1, 10. Substanti-
 alis imago DEI, *χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως ἀπαρασχη.* & *δοξασ* & *Θεὸς*
 Ebr. 1, 1. nostram in se suscepit imaginem (at novo & admirando
 modo a peccati sordibus defecaram) ut redderet nos homines,
 DEO & sibi similes. NOVE nasci debebat novæ Nativitatis dedicator,
 de qua signum daturus Dominus ab Esaia predicabatur: Quod est illud si-
 gnum? Ecce VIRGO concipiet, in utero & pariet FILIUM, Esa. 7, 14.
 Matth. 1, 23. Conceptit igitur Virgo, & peperit Emmanuel, nobiscum
 DEVM. Hæc est Nativitas NOVA, dum HOMO NASCITVR IN DEO.
 In quo homo natus est CARNE ANTIQVI SEMINIS suscepta, SINE
 ANTIQVO semine, ut illam NOVO SEMINE, id est, spiritualiter re-
 formaret, exclusis antiquitatis sordibus expiata, secundum Q. Septimis-
 um Florentem Tertullianum antiquissimum illum & verè argutum
 inter Latinos Ecclesiæ Doctorem & Presbyterum Chartaginensem,
 lib. de carne Christi, cap. 17.

De hæc NOVA & ADMIRANDA Dominicæ Nativitate
 ejusq; salutari fructu fufiores in Ecclesiasticis conventib; his ipsiis
 diebus conciones instituentur, ad quarum devotam auscultationem
 omnes & singulos literatiæ nostræ Republicæ Cives eâ, quâ par-
 est, pietate hortamur. Nos pro laudabili Academiæ more pro hæc
 vice *προπαιδείαν* quod extat Gen. 3, 15. Studiose juventuri pro-
 ponimus excutiendum, non quidem *ὀλιγῶς* (id enim Intimatio-
 nis angustia non permittit) sed tantum *μετὰ πῶς*, Elencticè con-
 tra excœcatos Judæos probaturi & monstraturi 1. Serpentem, qui
 primos parentes decepit, non naturalem tantum fuisse serpentem, verum &
 mysticum vel spiritualem, ipsum Sathanam & Diabolum, qui naturali serpen-
 te ut instrumento ad Evæ deceptionem usus est. 2. Inimicitias inter serpen-
 tem, ut & serpentis semen, & inter mulierem, ut & MULIERIS SEMEN
 non de naturalibus inimicijs naturalium serpentum cum omnibus hominibus,

sed in inicitijs longè sublimior bus intelligendas : & consequenter SEMEN SERPENTVM non esse naturales serpentes, nec SEMEN MULIERIS omnes & singulis in genere homines, sed individualiter singulare aliquod SEMEN & in specie ipsam Messiam. Calvinum Judaizantem, & Pontificios, contritionem serpentini capitis Mariæ tribuentes, suo loco reservabimus. De Judæis refert Gentium Doctor, eos indurasse vel occalluisse ἐπαρώγη mentes suas, propterea in hodiernum usq; diem τὸ κάλυμμα velamen illud spirituale adumbratum in corporali illo Moysi velamine Exod. 34, v. 33. & seq in lectione Veteris Pacti manere non reconditum, verum cum legitur Moyses velamen cordi Judæorum impositum esse 2. Cor. 3, 14. 15. Hoc spirituale velamentum cordibus Judæorum ἐως ἡμερῶν impositum, in specie in præsentem est Mosaico loco, ubi Dominus post factam seductionem primorum parentum inimicitias ponit inter serpentem & mulierem, & inter serpentis & mulieris semen, ita ut mulieris semen contritum sit serpentis caput, serpentem contra insidiaturum calcaneo seminis mulieris.

Hunc Mosaicum locum Judæorum plurimi externæ literæ nimum in hærentes, & in mysticum rei fundamentum nequaquam inquirentes, id quod hoc loco Moyses de serpente memorat, de naturali tantum serpente & colubro singulariter interpretati sunt; Semen serpentis de omnibus naturalibus serpentibus: Semen mulieris de omnibus in genere hominibus. Inimicitias de naturali odio naturalium serpentum cum hominibus. Videatur Josephus Judæorum alioquin doctissimus lib. 1. ἀρχαιολογία c. 3.

Contra hoc plumbeum & carnale Judæorum iudicium ex ipso Mosaico textu, collato cum alijs V. T. locis probaturi sumus Moysen Prophetarum primum, non tantum serpentem naturalem h. l. introducere, verum & in naturali, serpentem mysticum occultare, & inimicitias divinitus positas inter serpentem & semen mulieris v. 15. non esse naturales serpentes & humanum genus; sed spirituales inter Diabolum & Messiam.

Primum Argumentum Judaico velamento oppositum desumimus ex serpentis loquela plus quam humana, ex quâ non contentum ducimus argumentum, aliam hîc sese sub naturali serpente occultasse creaturam, quæ serpentinam linguam, ut ἀλάλοον instrumentum, ad loquelam & articulatam vocem rexit. Πῶς
namq;

namq; cum omnibus omnium temporum sapientibus credimus, & locutionis donum soli rationali creaturæ divinitus concessum esse, nulli verò creaturæ irrationali. Oratio namq; non est, ubi non est ratio, ubi non imago DEI. Nullum autem animal conditum fuit ad imaginem DEI præter hominem. Hujus sententiæ est & R. Saadja Gion: Quandoquidem inquit, **EXPLORATVM** est nobis, quod non sit sermo scientiæ nisi in homine **SOLO**, **COGIMVR** dicere, quod serpens, sicut & Asina (Bileami) non locuti sunt, sed Angelus quipiam locutus est per eos. Hæc ipsa verba R. Abraham Aben Ezra allegat suo in Genesim Commentario, & tamen ab hæc *ὁρθόδοξία* recedens fingit, **DEVM**, qui dederit intellectum homini, dedisse & serpenti. Quod Aben Ezra figmentum non immeritò refutatur à R. Mose Ben Jacob. Excipit Iosephus cum parvâ Genesi, animalia amiquitus loquendi facultate fuisse prædita, & ita serpentes quoq; naturales. Verum unde hoc crassa Judæorum cæcitas probabit? Variæ naturali serpenti insiguntur poenæ v. 14. Ratione tùm *λογισμῶν*, tùm *νοεῶν*, de elocutionis privatione (poena maximè notabili) prophetiarum oceanus nec verbum habet. Instare potest Judaica pertinacia, Asinam Bileami locutam, Num. 22, 28. Iterum inspicere textum excoecare & indurare Judæe. Asinæ locutio uti singularis, ita miraculosa & præternaturalis fuit, præter naturæ cursum facta. Sic enim ipse Moses: **APERUIT JEHOVÆ OS ASINÆ**, modo sc. præternaturali. Hinc Bileami asinam Petrus nominat *παραφροσύνην* καὶ φῶνεν 2. Petr. 2, 16. Humanâ verò voce divinitus donatam, ad impediendam Bileami *παραφροσύνην*. Sed quid hæc singularis *παραφροσύνη* divinitus facta loquela ad naturalem serpentis loquelam. ? Hæc Judæorum fidesio non absimilis est Æsopiciis fabulis, in quibus bruta animalia humanâ ratione & voce mythologicè introducuntur.

Asina Bileami amplius flagellata humano more & sermone **QVASI QVERVLOSA** ancilla loquitur, & illâ loquente statim Bileami oculi, ut Angelum cerneret, aperiuntur. In hoc admirabili signo quamvis asina competentia sibi verba prosatur, non tamen **SVA** mente, nec affectu **SVO** loquitur, sed Dominus, de quo dicitur: **APERUIT DOMINVS OS ASINAE**, sicut ad loquendum os aperuit, ita & linguam & palatum in verba gubernavit. Asina enim quid, & quomodo diceret, etsi aliquis diceret, omninò nec sciebat, quomodo & homines qui alieno inflati spiritu loquuntur, & adhuc cum loquuntur, quid dicunt, nesciunt, & nihil ex eo recordantur, cum respiciunt.

seu: sed qui loquendi modos & in nubibus, & in igne sepe invenit, & in ore muti animalis lingue plectrum in verba gubernavit, ut Augustinus loquitur Tom. 3. libro 1. de mirabilibus Sacre Scripture c. 34. Quid igitur mirum, si instinctu suo Diabolus implens serpente, eiq; spiritum suum infundens, eo modo quo vates Daemoniorum implere solent, cum loqui fecit. Imò ipse Diabolus in serpente locutus est, velut in Organum, utens serpentis os & linguam eo modo, quo verè Diabolus movere, & moveri serpens potuit ad exprimendos verborum sonos & signa corporalia, per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem secundum eundem Augustinum lib. 11. de Genesi ad litteram c. 11. & 27.

Julianus Apostata, Cyrillo, Alexandriæ Episcopo lib. 3. contra Julianum recensente, hanc Mosaicam narrationem à fabulis Græcicis non differre blasphemavit, quippe cui nihil vanius nihilq; absurdum magis est visum, quam serpentem humano loqui idioma. Verum quid Episcopus Alexandrinus? Pluribus exemplis profanorum scriptorum ostendit, non difficile esse immundis spiritibus talia attentare. Xanthus equus Achilli Domino suo mortem prædixit, Fluvius Causus Pythagoram salutavit; arbor incantata Apollonium allocuta est; Dodonza quercus humanâ voce dicitur usa apud Apollodorum Biblioth. lib. 1. p. 52. Argo navis alloquitur Argonautas in tempestate; deniq; taurus Jovis in Rhodo locutus esse fertur. Hæc fieri potuisse & facta esse Deorum vel potius Cacodæmonum virtute Julianus credebatur. Quid igitur absurdum credere Dæmonem etiam per serpentem humanâ voce locutum esse?

Secundam probationem firmat deceptorius & seductorius serpentis astus & discursus. 1. Evam primò adorat non virum, astu plus quam serpentino. Noverat enim serpens Evæ animum facilius occupari potuisse, quàm Adami. Hæc notitia plus quàm naturalis fuit in naturali serpente. Latitabat ergò sub naturali & visibili serpente alia potentior & versutior creatura tanta intelligentia & distinctione sexus virilis & mulieris prædita. 2. Discursus serpentis cum Evâ plus quam naturalis fuit, & merè Diabolicus. Constat enim hoc seductorium colloquium suis quibusdam gradibus, quibus hic serpens animum Evæ primum tentavit, tum dubium & vacillan-tem reddidit, tandem expugnavit.

1. Initio namq; serpentina vafrities verba Domini interdicti (de fructu omnis arboris hujus horti comedendo comedes, de fructu vero arboris

horti scientie boni & mali de isto ne comedat. Gen. 2, 16. 17.) in dubium vocat mirā calliditate : *Idcirco* quæ particulæ variè quidem reddita sunt ab interpretibus, consensus tamen in eo est, particulas habere vim *Interrogationis*. Pagninus omnium simplicissime : *Etiāne*, Luth. *Ja soll GOTZ gesagt haben ? Obs auch war ist ?* Illud foris admiratio dubitationem annexam habens. q. d. Videtur DEUS invidere vobis vestram felicitatem, idq; tantò magis, quantò magis vobis interdixit præstantissima hæc arbore. Ita Diabolicus ille serpens vult persuadere mulieri, vel non dixisse DEUM, quod dixerat, ut illam ab interminatorio DEI edicto abducatur : vel dixisse maligno animo, ut eam à DEO planè avellat. En *paragone* planè Diabolicam !

2. Progreditur indefessus serpentis conatus, & quod antea per modum quæstionis in dubium vocarat, id magis magisq; negare pergit, prius tamen id non fecit, quàm explorato EVÆ animo. Venenata astutia per loquelam serpentis ejecta erat, verum & bonam partem jam injecta animo communis matris, quæ in responsione sermonem DEI quidem repetit, sed non sine admixto interrogantis astutissimi fermento. Sic enim mulier ad serpentem v. 2. 3. De fructu arborum horti vescimur. At de fructu arboris quæ est in medio horti dixit DEVS : Non comedetis ex eâ, NEQUE CONTINGETIS EAM (ea muliebri additamentum !) *ne moriamini*. Cur quæso ad Dominica verba alia quædam adjicit ? Causa vix alia reddi poterit, quam quod dolosa serpentis interrogatio animum EVÆ sollicitavit, pupugit, ex parte serpentino veneno infecit, & ad quandam erga DEUM austeritatem commovit.

Præterea particulæ *Idcirco* quædam videtur inesse dubitatio : *ne moriamini*, pro, *ne FORTE moriamini*. Plurimi quidem sunt interpretes, qui particulam hanc hoc loco simpliciter negativè reddunt : *ne moriamini*, frequenter tamen dubitationem consignificat, ita Gen. 3, 22. *Ne forte immitat manum suam*, & dubitative hic accipiendum esse circumstantia loci, & sequens Diaboli instantia ostendit. Sic accipit Pagninus, Ebræorum doctissimus, & multi alij cum eo. Quod ergò DEUS pro certo posuerat : *Morte morieris*, Gen. 2, 17. Mulier dubitative ponit : *NE FORTE moriamini*. Vacillat igitur fides. Hunc vacillantem mulieris animum Diabolicus ille serpens arripit, nutantem urgere pergit, quasi in parietem inclinantem omni-

bus

bus viribus incumbens, donec dejiciat. Ita necesse est omnem cer-
 titudinem & fidem verbi divini evanescere, ubi semel ab ejus sim-
 plicitate ad humanas additiones vel glossas deflectere novit. Cujus
 rei, DEUS bone, quam foeda habemus in Papatu exempla! Quid e-
 nim sanctum & integrum ab additionibus, truncationibus, glossis
 Sophistarum in scripturâ permansit? Sic ergo serpentina calliditas
 ad mulierem, v. 4. 5. Non moriendo moriemini, sed novit DEVS, quod
 in die, quâ comedetis ex eâ, aperiemur oculi vestri, eritq; sicut Dij, scientes
 bonum & malum. Vidit serpens sibi rimam patere in vacillante mu-
 lieris corde, totâ igitur vi conatur introrumpere, ut DEUM cum
 suo verbo inde exturbet. Prius subdola interrogatione præceptum
 DEI fuggillabat. Iam comminationem mortis, quâ mulierem ter-
 reri, & eam subhasitare observat, aperte falsam esse criminatur.
 Non, id est, nequaquam morte moriemini. Hoc quid erat, nisi DEUM
 mendacij & vanitatis palam arguere? Imô in sequentibus verbis
 per obtestationis modum DEUM invidentiæ accusat, quasi ex invidiâ
 erga homines abstinenciam arboris mandâverit, id quod Commen-
 tatores fusius deducunt. Opinariisnè Judæ tam sapiens, tam cal-
 lidum, tam dolosum serpentis cum Evâ colloquium (in quo de Re-
 ligione, ejusq; cultu, de præmiis poenitq; circa Religionis cultum
 defectione primorum parentum ex statu perfectionis in statum æ-
 ternæ miseriæ idq; cum totâ posteritate) originaliter naturalis tan-
 tum serpentis fuisse? Ἀλογοὶ estis, & ἁθεόλογοι, si tantæ hebetu-
 dinis & Paganismi estis. Hoc velamento cor vestrum obtectum est,
 Moyses tantum serpentis mentionem facere. Sed unde hanc exclusi-
 vam probabitis? Fuitnè Moyses nudus historicus & descriptor rerum
 tantum visibilibus gestarum? An non & magnus ille Theologus
 fuit divinitus & vobis missus? qui in specie in hoc ipso tertio ca-
 pite foatem illum, omnibus mundi sapientibus absconditum, ape-
 rire voluit, ex quo tanta Illias malorum, hoc est, pravitas & vanitas
 & totærumna, quibus humana natura cernitur obnoxia, & ad quas
 cum non esse factam constat, (vidit enim DEVS omnia quæ fecerat, &
 erant valde bona, Gen. 1. 31.) in genus humanum, & universum na-
 turæ statum redundârit, primum primi hominis peccatum & defe-
 ctionem à DEO, primam originem non trahentem ab irrationali
 creaturâ, serpente naturali, sed altiore longè principio, quod Moyses
 tum pro V. Testamenti statu occultavit,

Tertium

Tertium firmamentum suppeditat ἡ ἐκ βαν serpentini collo-
quii cum Eva, communi omnium nostrum matre. Suo namq; dis-
cursu cum venenatissimo, cum callidissimo serpens ille animum E-
væ in statu perfectionis constitutum non tantum sollicitavit, pupue-
git, & ad quandam erga DEUM austeritatem commovit, verum, &
eò adegit, ut postposito DEI mandato, gravissimâq; interminatione
mente, appetitu, oculis dementatis de fructu arboris vetitæ come-
deret, inq; peccati societatem Adamum pertraheret. Quis un-
quam credet, tantam primorum parentum defectionem, quâ & sei-
psos totamq; posteritatem in æternum exitium præcipitârunt à nu-
do naturali serpente, irrationali creaturâ originem traxisse? Sanè
talia differere, quæ spectant ad ritum & rationem divini cultus, ad
negationem divinorum mandatorum, & ad defectionem rationa-
lis creaturæ, nullius sunt creaturæ irrationalis opera, sed creaturæ
plus quam humanæ.

Quartò nostram sententiam confirmat sapientia liber, qui pri-
mam illam primorum hominum à DEO defectionem Diabolo at-
tribuit, hunc in modum scribens: DEVS creavit hominem ἐκ' ἀφ' ὧν
οὐκ ἀδύνατον, καὶ ἐκόντα τὸ ἰδίον ἰδιότητι. ἐποίησεν αὐτὸν ὡς
ἐξ ἀδὰμ ἑαυτοῦ, id est, ipsissime naturæ suæ fecit eum,
dass er gleich seyn sol/wie er ist / vel ut alij, ἀὶ ἰδιότητι. ὅθεν
Διαβόλος γενέσθαι, εἰς ἡλθεν εἰς τὸν κόσμον, sed individua Diaboli pecca-
tum in mundum introiit. Idq; factum est in Paradyso. Serpens enim E-
væ & sollicitans & decipiens peccati autor extitit. Serpens er-
gò ille non tantum fuit σωματικός, verum & νοητικός. Ὁργαζεν ἦν ὁ
ὄφης τὸ ἀληθείας ἐχθρὸς, Serpens erat instrumentum veri inimici, seu
cundum Theodoretum quasi in Gen. 32. Et ut Augustini mens est,
Diabolus suo instinctu serpentem implens, eiq; spiritum suum miscens eo more,
quo Vates Dæmoniorum impleri solet, sapientissimum eum reddiderat omnia
um bestiarum, de Genesi ad literam lib. 11. c. 2. Liber quidem sapientiæ
non est in Ebraeo Canone, propterea tamen à malefanis Judæis abs-
solutè rejici non poterit, cum liber sit in se non tantum utilissimus,
verum & Judæum autorem habeat. Piè namq; credimus Philonem
illius libri Autorem esse. Legatur B. Lutheri præfatio super hunc
librum.

Quintò. Quod si Canonicos V. T. libros cum rebus gestis con-
sulamus, deprehendemus Prophetas cum fidelibus Mosaicam Historiam

riam de fraudulentia serpentis in Paradyso, & de Diabolo intellexisse.
 sc. Eliaas Diabolum & Diabolica machinamenta SERPENTEM
 vocat c. 27. 1. Die illo, inquit, inducet Dominus gladium suum sanctum
 & magnum, & fortem in balenam serpentem oblongum, & in balenam ser-
 pentem tortuosum, & interficiet Draconem in mari. Sanè Eliaas in hoc
 ipso capite de Israclitarum defensione & hostium eversione loqui-
 tur, id quod ex toto Prophetæ scopo apparet. Hinc Tremellius ex
 Iudæo Christianus in hæc Eliaæ verba ita commentatur. In subli-
 mitatem omnem SPIRITUALEM & Corporalem, quæ extulerit se adver-
 sus DEVM, (ex 2. Cor. 10, 4-5.) vi. fraude, vel utrâq. simul, quæ omnia
 ALLEGORICE his appellationibus figurantur. Idem MARE in hæc Elia-
 iæ Prophetiâ explicat per fluctuans hujus seculi æstuarium. Confector
 libri sapientiæ & ipse Iudæus Mosaicam Historiam non de nudo
 serpente, verum & Diabolo intellexit, scribens, invidia Diaboli mor-
 tem in mundum introisse, ut paulò ante vidimus. Serpens in Para-
 dyso mendacij spiritum in se habuit. Atqui hoc est Diaboli proprium,
 propterea ψευδης nominatur Joh. 8, 44. Hinc Diabolica gloriatio.
 Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus, 1. Reg.
 22, 22. Regius Prophetæ David peccatum describit, & mendacium,
 quod sit venenum aspidum sub labijs hamum, Psal. 140, 3. citante Paulo
 Rom. 3, 13. Et illa Davidis verba Ps. 91, 13. Super aspidem & Basilis-
 cum ambulabis, & conculcabis leonem & Draconem, majus quid quàm
 naturales aspides, Basiliscos, Dracones respiciunt. Christus sanè
 optimus Prophetarum interpres cum Apostolis hæc & alia locutio-
 num genera ad Diabolum referunt. Spectabam SATHANAM ut sul-
 gur è caelo cadentem. Ecce do vobis ἐξ ὧν ἐλθάνει ὁ σκάνδι serpentes & scorpio-
 nes, καὶ ὅτι πᾶσιν τῷ θανάτῳ ἔξουσιν. Verba sunt Servatoris ad Dis-
 cipulos Luc. 10, 19. En scorpiones, serpentes sunt, Satanas & omnis
 potestas inimici, DEVS pack conteret Sathanam sub pedes vestros cito.
 Verba sunt Apostoli Rom. 16, 20. Omnium verò clarissime in Io-
 hanna Apocalypsi c. 12, 9. c. 20, 2. Diabolus & Sathana nominantur
 magnus Draco & serpens ANTIQVVS, & cum Emphasi ὁ ὄφις
 ὁ ἀρχαῖος, qui totum mundum seducit. Ubi articulus manifeste
 digitum ad serpentem in Paradyso intendit. Sub serpente ergò na-
 turali latitavit ANTIQVVS serpens, Diabolus, spiritus ille πᾶσι τοῖς υἱοῖς
 qui se transmutare potest in Angelum lucis 2. Cor. 11, 14.
 Sextò. Tam certum est Diabolum anguinèa pelle vestitum ad
 versus incautam prodiisse fœminam, ut ipse jam pridem toti mundo
 hoc

hoc suum nobile stratagemata decantaverit. Quid enim censeremus aliud esse, quod Diabolus olim Iudæos impulit, ut in serpentis imagine sacrificia sibi pararent 2. Reg. 18. 4? Quod Egyptios & Babylonios eorumque exemplo alias quoque gentes adeo excæcavit, ut serpentes, Dracones, colubros religiosa veneratione colerent, Sap. 11. 14. Rom. 1. 23. & in Historiâ Babylonici Draconis? Huc referenda execranda Ophitarum secta, de qua Epiphanius hæresi 27. Augustinus ad Quodvultreum c. 17. & alij horrenda memorant, quos Diabolus eò dementia perpulit, ut colubrum, qui Evam desepit, Christum esse statuerent, vivoque serpenti in Eucharistiâ panem, quo in Sacramento utebantur, lambendum & consecrandum offerrent? Scilicet tam horrenda idolomania & traditione hominum in sensum reprobum Diabolus palam testari voluit, se illum esse ANTI-QUUM Draconem & nefarium humani generis impostorem. Ad eò nimirum illi placet, sese in hoc serpentino subinde ostentare præse diolo, ex quo primam olim eladem hominibus intulit.

Septimò. Tandem Iudæos cum Iudæis committimus. Citatus est supra R. Saadai Gaon, qui in conscientia convictus hoc veritati Moisaicæ testimonium dare COACTUS est, serpentem in Paradyso ex insita naturali facultate non locutum, sed Angelum quempiam per serpentem. Hoc ipsum agnoverunt, multi insignes Iudæi imprimis Cabaliste, planissime scribentes, hunc in Paradyso serpentem Evam seducentem Satanam fuisse & Angelum mortis. R. Iuda in lib. Kellakar fol. 6. super Gen. 3. v. 15. scribit: Plurimi interpretes dicunt, quod figmentum malum vim suam trahat a serpente ANTIQVO. (per què ipsum Diabolum orthodoxè innuit) Mekor Chaym fol. 23. R. Samuel loquit: Qui rectè vult intelligere verba Gen. 3. 15. ita intelligat: Diabolus plenarias inimicitias gerit adversus omnes, qui DEO inservire student, & operam omnem eò convertit, ut eos ad errorum præcipitia seducat. Et inimicitias spirituales Diaboli in v. 15. Gen. 3. Vbi cum grano salis id accipiendum, quod Iudæus ille has inimicitias in genere ad omnes DEO servientes extendit. Caphtor fol. 115. DIABOLVS & SERPENS VNO NOMINE APPELLANTVR. Egregiè. Fol. 125. Figmentum malum provenit ab ANTIQVO SERPENTE, qui venenum suum in Evam inspuit, & omnes homines seduxit juxta testimonium Gen. 3. 15. R. Bacchai fol. 16. super hæc Moïs verba Gen. 3. 15. Non sunt nobis inimicitie cum serpente magis, quam cum cæteris reptilibus. Quamobrem scriptura hæc MYSTICE innuit eum, qui in serpente oculabatur, corpus enim serpentis

serpens castidi erat INSTRUMENTVM aptum ad recipiendum virtutem
conjunctionem cum eo. Et ille est is, qui Evam peccare fecit, unde mors intra-
vit in omnem progeniem ejus. Et hec est inimicitia inter serpentem & inter
semen mulieris. Et hoc est MYSTERIVM lingue sancte, quod serpens alibi
appellatur Saraph, juxta nomen quo Angelus etiam appellatur Saraph (De
hac voce חֲרָפָה quæ & serpentibus seu Draconibus ut & Angelis tribui-
tur. Consulantur Lexicographi) Paulò pòst: iam ante nosti, quod ser-
pens est Sathan, & signum malum & Angelus mortis. Idem Iudæo-
rum Doctor ad v. 14. cap. 3. Super ventrem tuum gradieris, & pulve-
rem comedes, ita scribit: Mensura juxta mensuram: serpens deiecit hominem
de dignitate suâ & deturbavit eum in pulverem. Quapropter DEVS ipsum
quoq; deiecit de erectâ staturâ, & dedit pulverem in cibum ipsius. Et non
mentionem fecit, quod devorare debeat hominem, quæ poena hominis, Mors e-
rat longè gravior omnibus alijs poenis, quare maximè conveniebat homini. At
serpens erat corpus aptum ad vindictam quippe cum esset bestia agri, & erat
simul instrumentum suscipiens VIRTUTEM illam, quæ cum eo uno complexu
UNIEBATUR, quia tam occultatum in eo, quam oculis conspicuum loque-
batur. Iehova igitur dum deiecit erectam staturam ejus, deiecit simul etiam
VIRTUTEM illam, quæ se ei UNIVERAT, quam deiecit & præcipita-
vit deorsum, è gradibus cœlestibus (Sephiroth) qui sunt tres trium in DEO,
Nam non es DEVS volens iniquitatem, non manebit tecum malus. Propterea
ille ejectus est de omnibus illis tribus mansionibus supernis, planè sicut leprosus
solebam ejici è tribus mansionibus in terris. Et jam nosti, quod VIRTUS
ILLA ceperat linguam tollere adversus creatorem suum, & ob id leprosa
(spirituali) percussa est, & præcipitata est de excellentia & dignitate sua.
Hæc Bachai Rabbi Moses AEGYPTIUS in More Nebuschim parte 2. c. 30.
In Midrasch (commentaria sunt vetusta Iudæorum) commemorat,
quid de illo serpente sciendum sit, quod sc. serpens ille INEQUITATIVS
fuerit, quodq; fuerit magnitudine Cameli, & quod INSESSOR is fuerit,
qui Evam decepit, vid, SAMAEEL, quod quidem nomen simpliciter
denotat SATANAM. Paulò pòst: Ecce jam expositum tibi est, quod
SAMAEEL est Sathan, & quod eodem modo tam SATAN quam SAMAEEL
denotetur per Serpentem.

Huc facit, quod Jonathan Paraphrastes Chaldaeus habet. In
 hoc colloquio Evam conspicatam fuisse Angelum mortis cum jam
 manum admove vellet arbori, ut fructum decerperet.

Hæc Caballistarum testimonia nostrum propositum egregiè
 firman, simul & alios excœcosatos Iudæos in alio fidei capite resu-
 rant,

iant, opinantes, figmentum malum homini inesse ex *naturæ conditio-*
ne à primâ creatione. Quo fit, ut nunquam ad veram, & saluarem
agitionem corruptionis & miserie sue, neq; remedij in Christo
parati, & hic primum promissi pervenire queant. Rectius D. Kim-
chi super Esa. 43. 27. (*Patertur primus peccavit*) Primus Pater est
ADAM, per quem peccatum **NATURÆ INPLANTATUM** fuit,
juxta dictum Gen. 6. 5. Omnis figmentum humani cordis malum
est omni tempore. Et Rabbi Abraham in Psal. 51. 7. inquit: Respicit
hic David ad Evam, matrem nostram, quæ post lapsum demum genuit liberos.
Et Bachai fol. 12. differit, figmentum malum homini non à creati-
one fuisse inditum, sed per lapsum demum accessisse.

Ex his hunc in modum discussis, non immeritò quaeritur, quæ
re vel ipse Moses, hanc primam de Messîa promissionem clariù non
posuerit, vel alibi exposuerit, vel alij Prophetæ successu temporis
post Moysen? Paulus Apostolicè respondet, faciem Moysis velamen-
to testam esse oportuisse, usq; ad Christi adventum, qui vultum
Moysis aperuit. Nos ergò omnes *resecta facie gloriam Domini quasi in spe-*
sulo intuentus in eandem imaginem transformamur ex gloriâ in gloriam.

Moses propter populi ruditatem mentionem Diaboli omit-
tit, remq; solum aspedabilem (ut Evæ videbatur) nominat synec-
hochice, ut Levit. 17. 7. Sicut ante ob eandem causam omisit ex-
pressam Angelorum creationem, & Diabolorum lapsum, de quibus
postea Ecclesiæ jam adultæ multa in Vetere & N. Testamento
scripta sunt, adeo sanctè & religiosè, ut nulla Judæorum Idolo-
maniz, nulla profanorum curiositati fenestra aperta sit. Verba sunt
Tremellij sua in cap. 3. Gen. commentatione.

Nunc progrediendum esset, & probandum cōtra Iudæos, ini-
micitias divinitus positas, Gen. 3. 15. Non esse naturales naturali-
um serpentum cum hominibus, sed spirituales: SEMEN item mul-
lieris non COLLECTIVE de Evæ posteritate, sed singulariter & in-
dividualiter intelligendum esse. Verum intimationis ratio hic
nobis finem imponit, & suadet, ut ea, quæ restant, in aliud tempus
differantur. Salvos nos fac Domine DEVS noster, & congrega
nos de nationibus. Ut confiteamur Nomini sancto tuo, & glorie-
mur in laude tua. Domine, custodi exitum præteriti & introitum
incuntis anni ex hoc nunc & usq; in seculum. Fiat porro tua
super nos misericordia, quemadmodum speravi-
mus in te. Amen, Amen,

IN SOLENNEM NATIVITA-
TIS JESU CHRISTI REDEMPTORIS
NOSTRI MEMORIAM.

NATO quid IESV terris mage carum in universis ?
Quid mundus illo dulcius revolvat ?
Ceu Phœbus radijs oriens micat, omnibus fugatis
Stellis, in amplo CHRISTVS orbe fulget.
Thesaurum portat fulvi tibi fructuosiore
Massâ metalli, splendidiq; gemmâ.
At primùm Bethle nascenti, ubi congregata turba
Ex nationum dispari cohorte,
Vix faveat extremus stabuli locus inter elevatos
Serâ boatus nocte bestiarum.
Quem nato tribuant nostri modò poplites honorem,
Quibusvè lectis protegant, notemus.
Editus in lucem spes unica rebus est caducû,
Orcoruinam proximam minatur.
Tollere quapropter meritò caput, intimiq; fibras
Cicere nosmet pectoris deceret :
Sed vetas è Stygia vis eff, ra prodiens palude,
Mundamq; densis obruit tenebris,
Ne miser exortam terna iubar angulos patens
Orbis per omnes, tramitemq; servet.
Religione vacat purâ, decus atq; lite perdit,
Et dogma celsi negligit Parentis.
Esse Redemptorem natum malè conscius negare
Nunquam vereor, lege demptâ, Apellas
Quamvis omniparens tellus scelus improbum excreetur
Granduq; pœnam suggerat piaculi.
Contrâ haud ignara est rerum, sua sed misella quadam
Parta saluti turba iungit ausa.
Ne solum CHRISTI meritis ea laus fiet reposta,
Quod ora tristis fregerit molossi.
Dein nova secreti didicamina prodit alia satè
Caterva, mortem nil ferens merenti.

Et quis sexcentas prenda: pede cogitationes
Cœleste turba dogma respuenis?
Hac dum luctantur divorcia prava opinionum,
Incauta dæmon corda ludit astu,
Atq; animus cœcis Domini malus eripit timorem,
Culcitraq; sedat ritibus nefandis.
Quilibet hinc proprios divos sibi fingit arbitrari, &
A lege veri Numinis recedit.
Iustitia normam causis negat infima cohortis,
Qua pressa nullis viribus resistit:
Sed gemit, ac summi sperat citò dexterâ Ichovæ
E fraudulento casse liberari.
Impius interea monitis nihil optimis movetur,
Et vota fauces qua serunt maligna,
Exequitur proprii iudex male conscius lucelli,
Facitq; prado res suas egeni.
Pessima si meruit sceleris grave factio harathrum,
Servatur ampli calculo favoris.
At qua mens Superùm? vel quo mala jure tanta sufferi?
Vindicta magni num lovis repressa?
Consule, Denacalion vento freta concu: a dicet,
Ira Noachius secula nunciabis.
Evertit celsam Sodoma vaga gloriam libido,
At sæda multo civitas cruore.
Impietas magne Babylonis erat exitus stupendus,
Ferrata fastum porta nil jurabat.
AERA cruenta, fames saviissima, pestis & nociva
Pœnas scelestis debitas rependunt:
Regnaq; devastant longos habitata per locorum
Tractus, avitis auferuntq; sceptris.
Accidit hoc quoties legum timor exulat sacrarum,
IESVq; cuna denegantur orto.
Et qua divinis concedita verba sunt ministris,
Veni sonoris flatibus canuntur.

Tale quid & nostris crebra vice facilitatum in oris.
 Testis paterni solitudo campi est.
 Producens quondam segetes ager, unice colonos
 Mulcens, avenas nunc sovet vacantes.
 Grandine non raro culmi, velut impetu recurva
 Urgente falcis, concidunt minuti.
 Arborem contra sætum rudis, esca grata porcis,
 Victum palato debili ministrat.
 Insuetum stomachus fibris caput aridus moretum.
 Sed nil labantem recreat vigorem.
 Pestifera hinc immissa lues sua livido venena
 Flatu sub Arcton frigidam propellit.
 Tempore & exiguo stragem videt urbs, dolentq; rura.
 Millena perdunt corda lucis usum.
 Ac reliquos ensis sternit celer, amulantur aris
 Tormenta fulmen, nubium & fragorem.
 In latos aciem campos tuba clara cum vocavit,
 Stridensq; murmur pellibus coactis,
 Ecce cadunt homines, segetes quasi falcibus resecta.
 Arvumq; fuso tingitur cruore.
 Ungula collapsas laniat fera milites equorum,
 Prestoq; corvus, bulum vorax est,
 Hac glomerata suo nobis mala concinunt furore.
 NATO supremi FILIO Parentis
 Hospitium rigidum jam nunc quoq; tractu in hoc parari.
 Cunas tenellis nec patere membris,
 Verbaq; fatidica toties iterata voce nusquam
 Fidem mereri, corde fascinato,
 O si stelliferi radians domus alia nunc Olympi
 Supina passim pectora excitaret!
 Mentibus excuteret gelidas nova lux poli tenebras,
 Ardente flammans Numinis calore!
 Quàm facile augustus caperet locus editum puellum!
 Quanta colonos terra opes manerent!

M. Christophorus Eilardus, P. P.

